

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

Caput V. Dominus illam iuvat ad lectionem.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

totus transierat in ipsum quem toto corde dilexit, et præ omnibus concupivit. Et tam mira dulcedine replebatur, ut per septimanam dulcedinem illam sentiret.

Item lectionem lectura, dum ad pulpitum inclinaret, apparuit ei speciosus forma præ filiis hominum, puer Jesus, eam circumplectens, et ad se trahens, a quo cum magna difficultate et pœnalitate se erexit; vix lectionem legere poterat.

CAPUT V.

DOMINUS ILLAM JUVAT AD LECTIONEM.

ITEM multoties sibi accidit ut, dum in Matutinis plena Deo in fruitione magna et dulcedine esset, ita ut omnem fortitudinem consumpsisse nec lectionem suam legere posse videretur, diceret ad eam Dominus: « Vade et lege; nam ego te juvabo. » Sicque cum magna constantia lectionem incipiens eam complevit.

CAPUT VI.

DOMINUS ILLAM SUAVITER MANE EXCITAT.

QUADAM autem vice dum ad Matutinorum Evangelium Exurgens Maria legeret, tanta illam Dominus gratia et dulcedine infudit, ut a se penitus deficiens lectionem intermitteret, ita ut a choro exanimis portaretur. Cumque

In choro
legens deficit
B. Mechtildis